

Ad Porcii Licini de Terentio versus.

Elegantes Porcii Licini versus cum pingui Minerva nuper deturpati sint, pauca quaedam, quae ad restituendam veram eorum formam apta invenisse mihi viderer, e scriniis depromere statui. Atque omnino tenendum maligne litteratum illum hominem de poeta invisio referre, consulto igitur verbis uti ambiguis ('lasciviam' v. 1, 'amari' et 'ob florem aetatis suae' 4), quae de nequitia Afri suspicionem augeant, vel venenatis, quae iactantiam vani hominis castigent.

v. 4 vulgantur libris haec: *dum se amari ab his credit*, sed *credat* scriptura Parisinus veri vestigium servare videtur: corruptum enim conicio ex CREPAT h. e. alta voce praedicat, Licinum autem scripsisse *crepitat* ut dicitur. tum, ut olim voluit Ritschellius, numeri sic restituendi: *dum se ab his amari crepitat* (displicet enim quod paulo lenius videri possit: *dum se crepat ab his amari*). De verbo crepandi cf. Lucr. II 1165 et Heindorfius ad Hor. sat. II 3, 33. Continuantur haec optime rei commemoratione, quae pro amoris documento inprimis apta videretur nugatori: idem enim iactat se *crebro in Albanum rapi* (nam *rapi* =

rapitur quod est in Par. vel errore vel libidine librarii ortum). Iam sequentis versus prius hemistichium excidisse necesse est, restant haec: *ob florem aetatis suae* quae pronomen possessivum prodit ipsa quoque ex Terentii ore sumpta esse. initium hunc quoque v. probabile est cepisse a vocula *dum*, cuius repetitio causa damni fuerit, cetera recuperari nullo modo possunt, nisi quod transitus ad sequentia commode sic parari videtur, ut inanis spes significetur, e. c. *dum se attolli ad caelum sperat*. atque in his ipsis si quis velit ludibrium aucupetur, de Ganymede sc. cogitans.

Sequitur v. 6 talis in Parisino: *post sublatis rebus ad summam inopiam redactus est*; ceteri omisso *post* ante *sublatis* aut *ipsus* aut *ipsis* ponunt. sententiam verissime adsecutus est Ritschellius, nisi quod paulo violentius verba transposuisse videtur: *suis postlatis rebus*. ac *suis* quidem latere apertum est in altera syllaba scripturae *ipsis* vel *ipsis*. atque ipsa quae praecedit *p* littera nil nisi praepositionis *post* compendio scriptae (p') reliquiae, quibus obliteratis praemissa temere vocalis *i*, ut aliqua vox fieret. ergo alterius librorum classis auctoritate firmatum versus initium *post suis latis* per tmesin praepositione a verbo separata.

Tum quod abiisse traditur *Graeciam in* (vel *in Graeciam*) *terram ultimam*, Graeciam quidem ipsam à Romano homine ultimam terram dici prope ridiculum posset videri, nisi ex usu, quem inlustravit Nipperdeius in Corn. Nepote spicil. crit. p. 35 sq., intellegi liceret partem Graeciae ultimam. nam longissimo discrimine distare urbem cultissimam et potentissimam a nescio quo terrarum angulo significare voluit Licinus parum curans ille quidem ipsum Arcadiae situm. et nullo modo carere possumus propter sequentia loci illius ubi mortuus sit Terentius indicationem: *mortuus Stymphalist Arcadiae oppido*. quamquam verum est nec versum nec mentem scriptoris nuda ista notitia expleri. desideratur nimirum oppidi illius remoti epitheton aliquod, quo tristis poetae sors inlustratur, velut *obscurissimo* vel *tristissimo* vel *pauerrimo*, nec quaerere attinet, quo iure fastus Romanus ignotam civibus stationem despexerit. sic demum recte procedit quod in miseria defuncto familiari nil profuisse narrantur nobiles omni vitae iucunditate fruentes.